



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 5. In Belsiâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

In Francia.

AQVA Sequanæ Parisiis longè leuior est aquis fontium in quæ
vrbem immittuntur, etiam Meudonicis quæ tamen leuissimæ cre-
duntur: ideoque in quibusdam morbis præscribitur ægrotanti-
bus. *Papyrius Massonus in Sequana.*

Purpura quæ tingitur in fluuiolo Bibara, vulgo *la Bieure*, aliter
des Gobelins, longè viuacior est, atque tenacior, quam quæ aliis
aquis imbibitur. *Idem Massonus.*

Idem Fl. Bibara aliquando sine vllis pluviis, aut certè non inufi-
tatis sic intumescit, ut magnam suburbio quod alluit inferat va-
stitatem. *Historia Gallica.*

Parisios inter, & Pontifaram sylua fluuium Sequanæ eluta, in
cuius modicâ parte, quæ crescunt ligna aquæ ingesta sponte in
fundum defluunt, cum alia ciudem syluæ ligna fluitent. Vocatur
ab incolis *le bois de trahison*, aliter *de Ganelon*, quia hic proditio-
nem concepisse dicitur, quâ multi ex Ducibus Caroli Magni
perierunt. *Andreas du Chesne, & Ensebius Nierembergius.*

Stampas *Eftampes*, alluit fluuiolus *Iuyne*, cuius aqua pedes equo-
rum tacita torpedine infestat; huius causa in nimium eius frigus
refunditur. *Papyrius Massonus.*

In Belfia.

IN tractu Vindocinensi fluuius Conuena *la Conueye*, numquam
intumescit, numquam turbatur; id cum contingit incolæ expe-
ctant pestem Autumno proximo, & anno sequenti famem. *An-
dreas du Chesne.*

Carnuti seruatur indusium B. Virginis, illud mutauit in vexil-
lum Gualterus urbis Episcopus dum obsideretur à Normannis,
quotquot Barbari in Vexillum sagittas emiserunt, excæcati sunt.
Historia Parthenica huius Ecclesie, & Francici Annales.

Aureliis *Orleans*, imago Crucifixi fleuit tempore Caroli Crassi;
lupus ingressus Ecclesiam S. Crucis, tandem pedibus agitauit
Campanorum funes, eaque pulsauit donec abigeretur à Sacerdo-
tibus: neque multo post ædes illa magnifica deflagravit. Hanc in-
staurandam suscepit Arnulphus quidam vir diues, qui dum ape-

rit fundamenta, tantumdem auri reperit, quantum ad eius fabri-
cam satis esset. *Historia Francica.*

Haud procul ab Aureliis nascitur Ligerulus *Loiret*, qui in ipso
fonte nauigatur : in vorticem si hastam eiaculatus sis, resiliet ad te
maiori cum impetu : numquam glacie concrescit, quamquam eo
velocior Ligeris plerumque rigeat. *Leo Tripaltius Aurelianensis.*

In Ecclesiâ B. Virginis Clariacensis, *Noſtre Dame de Clery*, ce-
reus prostat ingens, & magni ponderis. Is quoties peregrinus ali-
quis terrâ, marive periclitatus eidem Virgini votum emitit, se-
mel iterumque magno cum impetu circumagit, populus ad
Basilicam accurrit, videturque rotari sponte, quem decem homi-
nes non circumuoluerent. Annotatur tempus & hora, agnoscit-
que peregrinus voti sui momentum cum cerei circulatione qua-
drare. Centum illiusmodi miracula leguntur in Archiuis huius Ec-
clesiæ. *Andreas du Chesne lib. 1. cap. 57. urbium Francicarum.*

In Blesensi territorio, sicut & in aliquot Belsiæ locis luctum adeò
tenax, vt si semel exsiccatur in equis, & iumentis, non nisi cum
pilorum euulsione tollatur. *Papyrius Massonius.*

Orchizæ *Orchesè*, iuxta Blesas terra eruitur eiusdem planè cum
Lemniacâ virtutis, la terre siglée : valet contra venena, & aërem
infectum, atque pestilentem. *Andreas du Chesne.*

Prope Turonas *Tours*, stillantes visuntur specus, vulgo *les Ca-
nes Gouttieres*, ex quorum fornice aqua dilabens in multas figuræ
rotundam, oblongam, &c. efformatur : crederes amygdalas fac-
caro obductas, & illiusmodi Tragemata. *Papyrius Massonius*, &
Andreas à Quercu.

Loquix à *Loches*, aquæ omnia immissa in lapidem indurant.
And. Baccius lib. 1. de Thermis cap. 15.

Ad vrbem Cänoninum *Chinon*, aqua ex specu transpirans sub-
flaua concrescit in lapidem. Ex eodem porro specu fons erum-
pens obducitur in superficie quasi tenui crustâ lapideâ. *Ego testis
avtoritas.*

In Añdegauensi Agro supra Salmurium pagus *Varaus* dictus,
ex quo riuius, bis die fluit, bis immotus stagnat. *Licimus Guyetus
in tabula Andegauensi.*

In Cenomanensi Agro tribus à *Flexiâ* leucis fons in prato visitur,
cuius aquâ si argentum oblinas ei affingitur color aureus, sed sub-
pallidus, quitamen paulò post evanescit. *Expertus loquor.*